



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 21. Delphinus in Brabantiam profugus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A. C. 1456.

respiciunt. II. Præscribitur modus celebrandi capitula. III. Clericis inhibentur alearum lusus, tabernæ, & ebrietates. IV. Agitur de Episcoporum habitu. V. Innovatur Bituricense Decretum de *Concubinariis*. VI. Reformantur abusus, qui in quæsturis, & indulgentiarum prædicatione irreperant. VII. Monentur Prælati, ut in approbandis Confessariis magna utantur discretione, nec a casibus reservatis, nisi justis ex causis, absolvendi facultatem concedant.

§. XXI.

Delphinus Brabantiam profugus.

Carolus VII. Galliarum Rex, cum Delphini Filii sui agendi rationem penderet, & haud ferendas, quibus Delphinatum, præcipue vero Ecclesiasticos premebat, exactiones inaudiret, ad justam provocatus est iram, & copias suas ad hanc Provinciam sub Duce Antonio Chabannio de Dammartinis eduxit, dato eisdem negotio, ut Delphinum comprehenderet. Verum Delphinus re comperta elusit periculum, & effuso cursu primum in Principatum Aurasionensem, demum in Burgundiæ Comitatum, inde in Brabantiam auffugit, nonnullis Nobilibus Viris stipatus. Eo tempore Burgundiæ Dux copiis suis Trajectensem infestave-

rat

rat Episcopatum, ejusdem incolas armorum vi compulsurus, ut pro Episcopo suo reciperent Burgundum Filium ejus spurium, cui Papa, rejecto Brederodizæ Domino, licet hunc Capitulum elegisset, præfatam Ecclesiam contulerat. Admodum molestus erat Burgundo Delphini adventus, de quo Regem datis literis certiore fecit, præcepit tamen Ducissæ conjugis suæ, necnon Filio suo Carolesii Comiti, ut Delphinum honoribus ejus conditioni congruis exciperent; se vero nunquam aditurum esse Delphinum aiebat, nisi prius a Galliarum Rege responsum accepisset.

Sæcul. XV.
A.C. 1456.

§. XXII.

Delphinus a Burgundiæ Duce benigne exceptus.

Rex in favorem Delphini respondit, Ducemque rogavit: Filium suum eadem omnino benevolentia exciperet, qua ipse, si forsan quodam adversæ fortunæ casu in Gallias fugere compelleretur, recipi desideraret. Igitur Burgundus acceptis hisce literis confestim Bruxellas petit, Delphinum salutaturus, quem etiam haud vulgaribus amicitiae signis amplectebatur, atque ejus usibus duodecim millium aureorum pensionem attribuit, dein illum ad castrum Cenebense in